



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

XVI. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Abramius è Sponso Eremita. Nobilis olim  
& dives, ut nobilior esset, virginitatem  
Deiparæ consecravit, dum ipsâ nuptiarum die  
incognitus sponsâ, thoro, cognatis, opibus, spe-  
busque maximis, generoso pede calcatis fu-  
git, eremum subiit, ubi quinquaginta annis  
corpus austeritate rigidâ coëgit in obsequium,  
vestibus per totidem annos non attritis. *Ex vits  
Patrum.* Melius est animæ, cū pejus est corpori.

Ora pro me S. Abraham Eremita, ut corpus  
meum in servitutem redigam, ne spiritui ad-  
verfetur, ne si post concupiscentias, & vestigia  
cupiditatum mearum incaute eam, inde a-  
berrem, quò non veniunt, nisi qui castigant  
corpus suum. O Sanctissima Dei, & mea, Ma-  
ter pretiosissima! ego N. indignissimus filius  
tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis,  
quàm animæ viribus, centies millies, imò in-  
finities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum corpus hodie Ma-  
riæ servire cogam, & aliquam, quæ se mihi  
facile offeret, corporis mortificationem ejus  
honorè offeram.

Quomodo Sanctissimæ Virginis potentia  
obviare poterit potestas illa, quæ de ejus carne  
carnis suscepit originem. *S. Pet. Dam. ser. 1.  
de Nat.*

Quæstio: Utrum Beatissima Virgo obvio-  
rum tibi hominum Angelos Custodes viderit?  
*v. Barri An. Mar. p. 2. c. 31.*